

esse, quod Deum videat, quomodo a mortali homine videri potuit: quam in rem allegat visionem Danielis, *Cap. VII.* ac denique concludit: *Qui adhuc vivens & mortalis sic propter munditiam videt Deum, quomodo vel quam feciliter post hanc vitam videt eum?* Ecce, uti visio Dei etiam in hac vita tribuatur mundis corde, nec tamen illis intuitiva Dei cognitio in hac vita, sed post hanc vitam demum conferatur! Cæterum si maxime verba illa præcise de intuitiva Dei cognitione loqui concedamus; non tamen fundamenti quicquam apparet, quamobrem verba referamus ad visionem illam in hac vita obtinendam. Non enim dicitur: *Ipsi in hac vita Deum videbunt*; sed sine addito: *Ipsi Deum videbunt.* Quamobrem plerique interpretum verba accipiunt de visione Dei beatificam in vita aeterna: atque huc referunt loca *I. Cor. XIII, 12. I. Job. III, 2. Hebr. XII, 14.* vid. *B. Gerb. Comm. ad Matth. V, 8.* Ac certum est, tria hæc loca cum nostro illo non obscure consentire. Prout enim hic dicitur: *Mundi corde Deum videbunt*: sic ad Corinth. *I. c. Caritas, non cogitans malum, non gaudens super injustitia, congaudens autem veritati &c.* hoc nomine commendatur, quod, abolita hac vita & omni imperfectione, etiam tunc maneat, cum *videbimus facie ad faciam.* Altero loco Johannes visionis Dei sicuti est, post hanc demum vitam secuturae spem faciens, addit: *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, purificat se, sicut & ille purus est.* Tertio denique loco scribitur: *sine sanctimonia nemo videbit Deum*; quod autem sermo sit de visione Dei in gloria cœlesti post hanc vitam, ex contextu patet. Vid. *v. 1. & 2. v. 22, 33.*

XXXI. In Pauli verbis, *II. Cor. III, 18. Nos autem omnes re-
tecta facie gloriam Domini κατ' ὀπίσθον μεταμορφωμένοι,* quod quidam vertunt, *intuentes velut in speculo, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, sicut a Domino Spiritu:* plus reperiisse videtur Keithus; ac procul dubio existimat doceri hoc loco, quod fideles N. T. *gloriam Domini resecta facie videant*, hoc autem idem esse, ac Deum in essentia sua per se immediate cognoscere; præfertim quod additur, *intuentes in gloriam Domini transformari in eandem imaginem, ex gloria in gloriam*; tanquam quod gloriæ
illi.